POLYMETRON

PETRI MANGER

SPALATENSIS

DECANI CAPITULARIS ASYLI PRO INFANTIA RECTORIS EQUITIS ORD. FRANCISCI JOSEPHI MISSIONARII APOST. SOCII ARCADUM IN PATRIO SEMINARIO RELIGIONIS ET HISTOR UNIV. PROFESSORIS PAROCHI DEC. INSPECTORIS SCO. DIS. EMERITI.

SPALATI
TYPIS ANTONII ZANNONI
1867.

VIENNENSI CELEBERRIMÆ

Scientiarum Accademiae

HAEC CARMINA

DALMATA PETRUS MANGER

D. D. D.

DOMNIO ANTIOCHENO

PRIMO DIVI PETRI DISCIPULO

APOSTOLO DALMATIAE

MARTYRI SALONITANO

SPALATI PATRONO.

Elegidion

Domnius advenit mira virtute Salonas
Missus de Summi Praesulis imperio.
Hunc puerum Petrus docuit praecepta salutis;
Et monuit mores ducere ubique pios.
Abluit Is primus populos in flumine Jadro,
Quo valeat coeli scandere quisque viam.
Praeditus ingenio munus Praeconis obivit
A pelago Adriaco ad litora Danubii.
Splenduit ut radius solis diffusus in orbe:
Namque gravi eloquio gaudia tanta dedit.
Justitia et pietas firmant spem vincere regna,
Ut quisquam ex factis praemia percipiat.

Ecclesia Spalatensis, olim Salonitana; prima Sedis Apost. Filia, Primatialis Dalmatiae et Croatiae aggregata Basilicae Vaticanae.
Farlato T. 3.

Perfidus interea hostis Ei caput abstulit ense,
Tum omnigenum accepit coelitus auxilium.
Post urbis clarae prostratas funditus arces,
Mox proceres Spalatum jura vetusta ferunt.
Ignorat nemo turres, et templa columnis
Exstructa unitis viribus Illyriae.
Quorsum tanta abiit nostrae cito gloria gentis,
Quae justis vivens legibus, astra petit?
Semper in adversis aeternum Numen adorat,
Nec cessat lacrymis fundere corde preces.
Plebs humilis quaerit, dans vota a pluribus annis,
Ut Pastor possit major adesse gregi.
Quod lege est actum et testes per saecula firmant,
Error non tollit, nec sine jure perit.
Gratia jam venit, magnisque laboribus orta.
Ut Patrem obsequio filius exhilaret.
«Gratia quae tarda est, ingrata est gratia cunctis,
«Cum fieri properat gratia, grata magis.»

Domnio Antiocheno

E. M.

SALONITANO.

Epigramma.

Illyrii Princeps sacra redimite corona,
Quem recolit supplex Adriaci ora maris.

Tu decus es Spalati, sub quo duce et auspice nostra
Ducit jucundos urbs Tibi cara dies.

En sacros cineres populi venerantur, ad aram
Munera poscentes, atque recepta canunt.

Id miri latices testantur, visque malorum
Urbe procul facili sæpe repulsa manu.

Grati animi carmen cœlo bone Præsul ab alto
Respice, dans populis tempora læta tuis.

Victor ubi æterna felix Tu luce coruscas,
Nosceris et custos pervigil esse gregis.

Cum fera tartarei rugiens ut devoret antri
Adstabit, proprias suscipe Pastor oves.

Paulo Miošić

Episcopo Spalatensi et Macarensi

primum ad suam cathedram pevenienti.

ODE.

Musa, cœlestum præeunte cætu,
Personet cantus hilares Ministro,
Quem modo sacra ratilum libenter
Cerno tiara.

Is puer solers teneris ab annis,
Gratiæ donis decoratus almis,
Inde jam cœpit radiare summo
Lumine morum.

Quid feram quando Spalati vacarat
Litteris lætus nimiumque præstans,
Quando te ad mentem Patavi colendam
Ivit in urbem.

Quis potest multas memorare laudes
Ille quas semper sibi comparavit!
Dant ei mores, alacrisque mentis
Præmia virtus.

Ad suam rursus patriam reversus
Parcit haud ulli studio, aut labori;
Omne quod sacri proprium est ministri
Strenuus implet.

Aestuans zelo properat per urbes
Oppida, et pagos, populos ad astra
Ducit exemplo, simul ac dissertæ
Munere linguæ.

Non latet mundo pietas: ad omnes
Fama Præconis resonat benigni;
Laudis Illi præmia dat merenti
Dalmata. tellus.

Quanta tunc virtus placide monentis;
Qualia et de corde et amantis ore
Verba fluxere, ut teneram doceret
Rite juventam!

Nonne doctrina, probitate clarus,
Sedulis curis obiit docendi
Jaderæ munus, meruitque lætos
Tollere plausus!

Cæsar hunc tantis meritis coruscum
Et vices prompte varias tulisse
Conscius, dixit: subito vocetur
Nomine Pastor.

Hoc Pius, suprema cui potestas
A Deo, firmat: Spalati vetustam
Occupet sedem, regat Iste gentes
Ordine Præsul.

Lustra per quinque aureus inter orbem
Sol nitens, nobis retulit beatum
Vix diem: Paulo veniente prisca
Tempora surgunt.

Crescit extemplo, velut arbor alta,
Palma cœlestis; micat inter omnes
Præsulis virtus: fugiuntque nubes,
Luce recepta.

Hic dies cives recreat dolentes,
Lusibus crebris volitat juventus,
Et sibi somnos adimit canendo
Dulciter hymnos,

Jubilum tandem reboet per auras:
Illius gentes recolant in ævum
Nomen; ast grates referant sereno
Ore Tonanti.

Tardus ad cælos abeat, diuque
Sospes intersit populo, precamur
Corde, ut æternum pueri, senesque
Numen adorent.

Josepho Godeassi

EPISCOPO SPALATENSI ET MACARENSI

Feliciter ad suam sedem pervenienti.

ODE.

Nocte jam sidus Spalati coruscat
Littore aprico tenebras repellens,
Excitat gratum juvenes, senesque
Dicere carmen.

Angelus pacis simul ac salutis
Desuper missus, nimium dolentes
Adfuit tandem recreare gentes
Ore sereno.

Is perillustri genitus parente,
Linquit optatos patriæ penates;
Litteris mentem excolit, atque doctis
Artibus ornat.

Non latet quemquam pietas, ubique
Moribus lucet placidis: juventus
Cernit exemplar, socium fidelem
Atque magistrum.

Ille, conversis studiis, sacerdos
Factus, et sacras properans per ædes,
Verbo et exemplo proprium libenter
Munus adimplet.

Qua vigil Pastor recubans cubili,
Mane consurgens, oculos ad arva
Vertit, ut multo pecori parare
Pascua possit.

Sic suos dulci pueros loquela
Instruit, sic et, nimio labore,
Plurimos fecit populos ad astra
Scandere cœli.

Jaderam venit generosus heros
Conferens cunctis meritos honores
Ordinem sacris studuit per oras
Ponere nostras.

Non dolus, non astus in ore puro,
Simplici cernens oculo potentes,
Sæpe perfundit pretiosa læto
Munera corde.

O nimis felix Spalatum! benignus
Dum tibi Præsul lacrymas ab ore
Tergit, et tantos meruit frequenter
Tollere plausus!

In tuo solers gremio Minister
Optimus fulget, velut arbor alta,
Dans suo magni celeres laboris
Tempora fructus

Surgit ut prudens pater ante lucem,
Filios promte recreans gementes,
Porrigit dextra generosa egenae
Pabula plebi.

Propriae gentis Pater atque custos,
Numinis legem doceat superni,
Quo triumphali redimitus adsit
Tempora lauro.

Jubilo cordis, numerisque vocis
    Quisque perquirat sibi comparare,
    Quo magis possint modulata reddi
        Carmina plectro.

Fervide cives volitant ad aram;
    Postulant, multos vigilem per annos
    Praesulem ut servet Deus et secunda
        Tempora reddat.

Morte dum serus placida quiescet,
    Cœlites promte reserent superna
    Limina, ut vitae teneat perennis
        Gaudia Joseph.

ALOYSIO PINI

SPALATENSI ET MACARENSI

EPISCOPO

in templum Spalatense solemniter ingredienti

26. Jan. 1845.

Elegidion.

Laudibus aeterni resonent haec moenia regis,
Quae Patris adventu condecorata micant.
En laetos inter plausus, festivaque gentis
Gaudia saxoso arx considet alta jugo.
Hic habitura Deum, moestos defendere cives
Nubibus aereis aemula tecta docent.
Tecta nitent intus validis innixa columnis
Marmore constructis, robore Dalmatico.
Regius ingressus, sedes quoque regia splendet,
Undique magnificus surgit ad astra lapis.
Hocce Dei templum festivo murmure Praesul
Ingrediens, spondet prospera, spernit opes.
Iste bonus Pastor veri sit nominis, ajunt,
Qui exemplo monstrat quale salutis iter.
Felices nimium pede qui properante sequentur
Pastorem, qui aula venit ab aetherea.
Ipse quidem meritis praestat benefacta libenter.
Atque labore suo jubila certa parat,

Jucundus, patiens, nunc omnibus omnia factus,
　　Pervigil et custos gaudet adesse gregi.

Vos Spalati cives, Pastori dicite carmen,
　　Illius et nomen semper in ore sonet.

In Domini laudes extollite cantica, et Illum,
　　Non pigeat gratis mox celebrare modis,

Qui ut totum solis radiis illuminat orbem,
　　Hoc duce sic populo contulit omne bonum.

Marco Calogerà

EPISCOPO

SPALATENSI ET MACARENSI

Lætus adest Pastor tantos lenire dolores,
Qui populum promto dirigit ingenio.

Ille puer donis fuerat decoratus ab alto,
Moribus incepit tunc radiare suis.

Quid referam quando Sophiæ penetralia pandit,
Dum juvenes hilari sæpius ore trahit.

In patriam benefacta tulit tot munere linguæ,
Quæ nemo facili volvere mente potest.

Quot plausus Jadræ meruit renovare triumpho,
Signaque virtutis cum pietate dedit.

Cæsar cum novit nimia Probitate micantem,
Qui Catari solium Præsulis obtinuit.

Mansit, in urbe decenni legis dogmata tradens,
Quonam quisque modo sidera adire queat.

Cum Clero socius, jam magna negotia solus
Perficit, et cum humili plebe benignus agit.

Noverat ista Pius, data cui suprema potestas,
Major, ait, merito gloria parta suo:

Sedem habeat Spalati, quam amplo canit ore vetustas,
    Ipse quidem patiens ordine cuncta regat.
Consilium statuet, quo possint jura tueri,
    Tum bonus et vigilans cum grege pastor erit.
Mox laudes tollant puerique, senesque per auras,
    Perque omnes fundant florida serta vias.
Incolumis vivat multos in pace per annos;
    Post obitum felix regna superna petat.

Venceslao de Lilienberg

Supremo Dalmatiæ Moderatori.

ODE.

Jubilo nostras resonare ripas
Audio ob tanti reditum Patroni,
Qui suas gentes animo lubenti
Ditat ubique.

Plurimos nondum Spalati per annos
Splenduit lucis radius; sed orto
Sole, de terra miseram tuemur
Surgere plebem.

Ver referet flores varios, in hortis
Arbores crescunt, hilarique mente
Colligunt latis pueri canistris
Dulcia poma.

Rusticus vites patiens maritat
Frondibus; sumptus proprio labore
Curat, et multas pecudes in agro
Nutrit amoeno.

Arva nunc præbent segetes colono
Amphoræ grato redolent falerno,
Quas sagax multo pretio redemptas
Advena querit.

Pauper haud istos remeare fines
Amplius questu poterit videri,
Quemque sed pagum pariter replebit
Copia rerum.

Interim portus licito patescunt
Navibus gressu; properat viator
Palladis fructus cumulare nostras
Aere per oras.

Artifex victum sibi comparabit
Quisque conatu facili; sed omnes
Dalmatæ lætos poterunt in ævum
Tollere plausus.

Pace gaudebunt juvenes senesque,
Qui diu ingenti fuerant repressi
Pondere; hos tandem recrea dolentes
Ore sereno.

Sint procul lites, animique motus,
Qui solent mentes vitiare puras,
Ne foret nobis metuendus ardor
Hostis iniqui.

Dum tuas læti celebrare laudes
Nitimur, nostros ferat aura cantus,
Ne tuum nomen Spalati futura
Deleat ætas.

Josepho Jelačić

BANO CROATIÆ

DALMATIÆ GUBERNATORI

Spalatum advenienti

1850.

En nostras volitat celebris Tua fama per oras,
Auspiciis referens gaudia tanta Tuis.
Te veniente, venit florenti copia cornu,
Te Patrem patriæ pastor et arma vocant.
Vindice Te redeunt, quas Græcia noverat artes,
Romanique cito vis redit ingenii.
Felices populi, quos nutrit Dalmata tellus,
Te duce, cui præsto est justitia et pietas.
Fontibus e puris undas haurire salubres
Nunc licet; insonti nulla venena nocent.
Ite procul fraudes, nunc denuo surgit honestas
Nec locuples inopi pondere membra gravat.
Vive diu, sed cum mortali e carcere liber
Fulgida veloci presseris astra pede.
Cælicolæ insigni patrum Te sede reponent,
Et reddent meritis munera parta Tuis.

ANTONIO PODRECA

CONCIONATORI

In Cat. Ecc. Spalatensi.

Ode.

Plausibus magnis, modulisque lætis
Quisque Præconem celebrare certet,
Nostra qui novit rutila cremari
Pectora flamma.

Verba quam primum labiis resolvit,
Quidnam opes prosint cumulare terris
Dixit, et noxam propriæ laboret
Ferre saluti!

O nimis felix sceleris nefandi,
Qui cito damnum reparare novit,
Ne miser pœnas lueret perennes,
Vindice nullo.

Voce tam forti monuit superbos,
Invido ut linquant laniare morsu,
Quem mage ac fortes poterant tueri
Fratris honorem.

Si tuus lethali oculus veneno
Plenus, insurgat maculare vitam,
Ne tibi damnum ferat, hoc abuti
Desine sensu.

Mira res dices hominem videre,
Quod probat, facto reprobat deinde,
Quin sibi constans studeat beatum
Querere finem.

Quot viros vulpi similes revises,
Qui dolos tendunt inopi ac potenti,
Ut sibi prosint, genus hoc ad ima
Tartara mitte.

Non pius, nequam merito vocatur,
Omne qui munus prece obire censet,
Hic Deum tantum labiis honorat,
Corde recedit.

Sic domum fortis mulier gubernat,
Ut dapes natis, famulisque præstet,
Et virum solers variis per annum
Vestibus ornet.

Serus e vivis abeat, diuque
Doctus intersit Spalati minister,
Ut bonos curet puero senique
Fingere mores.

Antonio Dražić

PROFESSORI

GYMNASII JADRENSIS DIRECTORI.

Epigramma

Vos Superi mæsto jam jam date robora cordi,
Pellite de nostro littore tristitiam.

Pierides resonate melos, doctique Poetæ
Solvite nunc plectro corpora pressa dolo.

Læta dies redeat, qua Antoni strenua virtus
Splendeat, et merito præmia digna ferat.

Forti animo maneat, ne hostis gauderet in illo,
Cui cito de adversis gloria prisca venit:

Tunc pueri et cives tollent ad sidera plausus,
Et dicent: salve, pocula sumpta manu.

Antonio Dražić

Electo Canonico Ragusinæ Ecclesiæ

Epigramma.

Aurea lux tandem cœlo demittitur alto,
Quæ confert tanto prospera quæque viro.

Persæpe indignos sors auget honoribus, atque
Congregat immeritæ pignora lætitiæ.

Ast nil constantem terret fortuna secundo
Quin niteat vultu, permanet ille pius.

Nuntius interea graditur mox missus ab Austro
Littore, qui lætus clamitat ante fores;

Antoni nomen Regis pervenit ad aures,
Ille dedit meritis munera digna suis.

Protinus, o socii, doctas qui discitis artes,
Lusibus et plausu condecorate diem.

Fulgeat ista dies longos festiva per annos,
Et referat nostro gaudia tanta solo.

Antonio Boetner

PROFESSORI

Ob receptam valetudinem

13 Junii.

Epistola.

Hac oriente die, læto clamore salutant
Antoni festum jam quotquot in urbe sodales
Extant gaudentes de ejus florente juventa,
Et nimium pandunt pleni nunc intima cordis
Gaudia. Ploratus modo matris ab ore recedit,
Nec fratrum luctus, nec clamor ad ætera surgit,
Nec nostræ, ut toties, resonant suspiria gentis.
Nubila vanescunt, cœlo redeunte sereno;
Corpore mox valido, solers Antonius aedem
Ingreditur sacram, juvenum comitante caterva,
Ut referat grates ob dona recepta salutis,
Quae dedit ipse Deus, mortales reddere sanos
Gaudens, cui soli vitae suprema potestas.
Undique perfundit plausus et jubila, dixit:
Incolumis vivat, multos vertatur in annos
Ista dies, fati jam jam melioris origo.

IN DIE ONOMASTICA

Professoris Boetner

13 Junii.

Epigramma.

Candida lux salve longum celebranda per aevum,
Quae mihi, quae sociis dulce levamen eris.
Ista dies laeto nimium clamore per auras
Personat, et patriae prospera fata parat.
Tempora fulgenti quando redimitus honore,
Munera tanta dabit viribus ingenii.
Plausibus et cantu incedit studiosa juventus,
Antoni festum nuntiat esse diem.
Perquirunt proceres, tali quis laude colendus
Respondent pueri: est optimus ille parens;
Moribus, exemplo tradit praecepta salutis,
Nosque docet rectam semper inire viam.
Grati ergo conamur ei depromere versus,
Qui praebet parvo tot benefacta gregi.

IN MORTE

Joannis Katalinić

Tribuni Militum

Historiæ Dalmaticæ Auctori.

Epigramma.

Occubuit patriae decus, et perdulce levamen,
Qui fuerat factis consilioque simul.
Perfundunt nimium lacrymas puerique senesque,
Dum certant doctum concelebrare virum.
Strenuus in bello certavit, fortis in hostes
Irruit armata, non sine caede, manu.
Dat fessus studiis somnos, adimitque frequenter,
Dum laetus prisci temporis acta canit.
Tot nemo scriptis veterum documenta reliquit,
Quae tollunt gentes laudibus illyricas.
Ad tumulum, cives, flores conferte Joanni,
Qui modo veloci scandit ad astra pede.
Permanet in terris illius fama per aevum,
In cœlo gaudens serta decora tenet.

P. ALOYSIO MACCHIONI

CONCIONATORI

Sacræ Theologiæ doctori.

Epigramma.

En, peccator, adest gratum acceptabile tempus,
    Quo certum coeli gaudia pandit iter.
Nonne vides sacra succensus pectora flamma,
    Ut capiat civis quisque salutis aquas.
Nonne duci eximio tribuenda est gloria, tantum
    Numine qui afflatus, praestitit ore bonum.
Sis felix equidem, portas qui pandere cœli
    Fecisti miseris, et dare vota Deo.
O quot pro meritis pia sunt tibi dona parata,
    Queis tandem cœlo profruiturus eris.

IN OBITU

MARCI DUDAN

Ecclesiae Spalatensis Praepositi.

EPIGRAMMA

Quid luctum, et lacrymas, quid nunc suspiria gentis
    Audio pro tanti fundere morte viri.
Optimus ille senex, constans bonitatis imago,
    Æternæ radius lucis in ore fuit.
Profuit exemplo, plus quam tot munere linguæ,
    Quis doctus potuit moribus, ingenio.
Is nimium præstans, ast recte noverat hostis
    Promptus in adversis rumpere tela sui.
In terris etsi diuturna ætate superstes
    Nulli aliquid nostrum contulit ille mali.
Patribus adjunctus, divum splendore coruscat,
    Gaudia pro meritis percipit ille suis.

Francisco Carrara

Viennae primum celebranti sacrum.

Ode.

Hac die lætos celebrans triumphos
Cerno Franciscum, properante gressu,
Qui sibi jungens socios Tonantis
Intrat in ædem.

Nemo sic prudens nimis excitatam
Hostium novit rabiem suorum
Ferre, nemo sic potuit cruenta
Frangere tela.

Legibus sacris moderator orbis
Dat viro probo comitem fidelem,
Quem boni mores, animique dotes
Laudibus ornant.

Infremunt hostes, simul ac minantem
Desuper vocem Deus egit, ipse
Gentium judex erit, atque nostri
Gloria fratris.

Dulce curarum, ac senii levamen
Deserit charos patriæ sodales,
Cæsaris nutu studiosus almam
Ivit in urbem.

Viderant docti proceres Viennæ,
Optimis nostrum juvenem micare
Dotibus, digne decoretur, ajunt,
Ordine sacro.

Eja solemni peragenda ritu
Sacra, tunc omnes venient ad aram
Numinis, serto pariter virenti
Tempora cingent.

Jubilet magni domus alta cœli,
Terra jucundo resonet fragore,
Rideant agri, segetes, et omnis
Rideat arbor.

Patrios solers adeat penates,
Tardus ascendat superas ad auras,
Quisque conetur merito referre
Carmine laudes.

Francisco Carrara

Jambi Dymetri.

Cito sodales surgite,
Conferte flores gaudio,
Gratique cordis jubilo,
Melos ab ore fundite.

Summi Sacerdos Numinis
Ad sacra lætus convolat,
Suique semper cogitat
Mens sanctitatem nominis.

Ductus perenni gloria,
Paterna linquit littora,
Prudens in Urbem Cæsaris
Discendi amore venerat.

In hacce prima victima
Sese Tonanti consecrat,
Omnesque solers excitat
Ad obtinendam gratiam.

Tanti datorem muneris,
Deum vocate supplices,
Ut grata nobis conferat,
Sic et per annos plurimos.

Exultet ergo patria,
Francisco honores conferens,
Qui poscit omnes ingredi
Præclara cœlorum atria.

Francisco Carrara

PATAVII LAUREAM OBTINENTI.

Jambi Dymetri.

Lux alma cœlum purpurat
Dies refulget candida,
In qua triumphi canticum
Francisco ad astra tollimus.

Franciscus ortus Spalati,
Honor parentum gloria,
Ab ore verba dulcia
Profert ad instar fluminis.

Discendi amore litteras
Somnum frequenter abripit,
Noctes, diesque diligens
Domi libenter occupat.

Munus docendi strenue
Totis adimplet viribus,
Lucet suis per omnia
Exemplar auditoribus.

Labore, scriptis, moribus
Sordes repente tollere
Nostris studet de finibus,
Viamque cœli pandere.

Vetusta scrutans strenue
Virgulta, vepres perfodit,
Sepulcra tecta detegit,
Salonæ amœno in littore.

Urbis vetustæ mœnia
Prostrata ferro barbaro
Perquirit; et certe inveuit
Fines in amplis vineis.

Ignota solers explicat,
Noscens probe numismata,
Terram, lapillos, rudera
Evertit ære publico.

Amica tellus Palladis
Dat illi honores debitos,
Lauro coronam conserens,
Ejusque cingit tempora.

Tali potitus munere,
Urbem secundo Cæsaris
Petit, repletus gaudio
Plures patronos invenit.

Largitor omnis gratiæ,
Solator omnis tædii,
Servet per annos plurimos
Decus perenne patriæ.

IN FUNERE

Francisci Carrara

PROFESSORIS BENEMERITI.

Epigramma

Undique jam luctus resonat, suspiria crescunt,
Afflictæ gentis pallor in ore sedet.
Franciscus vix octo ætatis lustra peregit,
Ingenio et scriptis fulsit in orbe satis.
Impiger antiqui collegit temporis acta
Nec latuit quidquid docta Minerva tulit.
Rudera confodit, vepresque in littore Jadri,
Priscæ urbis reperit mœnia tecta nimis.
Gloria vanescit Spalati constans, ut in hortis
Nascentes rapuit turbo repente rosas.
Ergo agite, o socii, dignas nunc dicite laudes,
Cui virtus rectam pandit ad astra viam.
Cœlitibus junctus, patrum mox sede locatus
Præmia pro meritis non peritura capit.

P. Romualdo de Gemona

CAPUCCINO

Concionatori in Ecc. Spalatensi.

Epigramma.

Accipe quos meritos conamur tradere honores,
    Qæque tui in laudem carmina concinimus,
Qui pius æterna succensus pectora flamma
    Fortiter in vitia, et crim ina saeva ruis.
Jam culpa et crudi inferni vectes tibi cedunt,
    Atque tuis dictis impius erubuit.
Sis nimium felix, quia victor ab hoste fuisti,
    Quot tibi sunt summo præmia parta polo.
Vive diu, sed quando laborum pondere fessus,
    Iveris ad patres, regna beata petes.

P. Vincentio Salua

Inquisitori generali

Concionatori in Cathedrali Ecclesiae Spalatensi.

Epigramma.

Excute, mortalis, mentem gravi excute somno,
Nunc dele lacrymis crimina tanta tuis.
Audisti sacro Pastor quæ prædicat ore,
Quantaque peccatis nuntiat ille tuis?
Audisti, de cœlo quomodo fulmina pendent,
Culparum æterna ut pæna luenda tibi?
Tu nondum surgis! nec detestabile ponis
Crimen, quod vitam vexat ubique tuam.
Infelix quid agis, quot te infortunia lædunt,
Dum misere præceps in mala tanta cadis!
Illius est sermo ut vibratus ab æthere fulgur
Cum sonitu forti cordis ad ima venit.
Excute nunc tandem culparum labe peremptus,
Contrito veniam pectore posce Deum.

Antonio Bajamonti

Spalatensi Moderatori

Die 17 Sep. 1865.

—=—

Epigramma.

Candida lux salve longos celebranda per annos,
Quae mihi, quae sociis dulce levamen erit.
Antoni nomen grato clamore per auras
Personat, et patriae prospera quaeque parat.
Tot Spalati nemo construxit funditus aedes,
Nemo sic lucet moribus ingenio.
Per mare, per terras merito laetantur amici,
Divite dum cornu copia fundit opes.
Solus in urbe libenter egenum e pulvere tollit,
Qui cura et factis adjuvat Artifices.
Tempora fulgenti rursum redimitus honore
Jubila tanta dabit, nomen ad astra feram.

Indirizzo Municipale

DELLA R. CITTA' DI SPALATO

A Monsignor **Pietro Manger** Decano Capitolare.

La scrivente Congregazione Municipale è lieta nell' esternare la propria soddisfazione a V. S. Re.ma per l' ottima di Lei morale condotta tenuta durante il triennale servizio in qualità di Precettore di Gram.a nel C. R. Ginnasio — nei 12 anni come Professore di Religione e Storia Universale nel locale Istituto Filosofico — per il decennio come Can.co Par.o Urbano, Decano Par.e, Ispettore Scolastico Distr.e, Interprete di questo I. R. Tribunale Cir.e come pure per le di Lei cure e spese incontrate nell' aprire una elegante Biblioteca nel patrio Seminario — nel dare esistenza al locale Asilo Infantile — con una sala pello studio di musica e ad uso gratuito della Banda Civica — nel ristauro dell' Istituto Illirico di Prico d' Almissa, — per il generoso dono di molti interessanti libri al Gabinetto di Lettura inservienti di base pella civica Biblioteca: — per aver fatto di pubblico diritto colla stampa una raccolta delle di Lei poetiche composizioni latine.

Questi sono i titoli che sommamente La onorano dopo il di Lei ritorno dagli studi dell' Università di Vienna. E come l' Accademia degli Arcadi di Roma La volle Socio Arcade, il Vescovo Diocesano La prescelse a Preside del Tribunale Eccl. Matrimoniale — Esaminatore Prosinodale e Delegato in due visite Pastorali — il Sommo Pontefice La nominò Mis.rio Apostolico, e il Regnante Imp.re in ricognizione della di Lei particolare attività e zelo per scopi di pub.a Beneficenza La decorò della Croce di Cav.e dell' I. R Ordine di Fran.o Gius.e I.; così questa Congregazione Municipale, veduti e presi in considerazione i di Lei servizi, titoli e meriti, La dichiara onorando Cittadino, distinto Sacerdote, Benefattore della patria.

Spalato li 24 febbrajo 1863.

Il podestà
Bajamonti.

Il segretario
GIAXA.